



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Imitatione Christi

Thomas <von Kempen>

Antverpiae, 1607

Quòd priuatus amor, à summo bono maximè retardat. 27

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48701](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48701)

Rem. 12 præsentis, malè allicientem. Non me vincât, Deus meus, nō me vincât caro & sanguis: non me decipiat mundus, & brevis gloria eius: non me supplâter diabolus, & astutia illius. Da mihi fortitudinē resistendi, patientiā tolerandi, constantiā perseuerandi. Da pro omnibus mundi cōsolationibus, suauissimā spiritus tui vnctionem: & pro carnali amore, tui nominis infunde amorem.

4 Ecce cibus, potus, vestis, ac cætera utensilia, ad corporis sustentaculum pertinentia, feruenti spiritui sunt onerosa. Tribue talibus fomentis temperatè vti, non desiderio nimio implicari. Abiicere omnia non licet, quia natura sustentanda est: requirere autem superflua, & quæ magis delectant, lex sancta prohibet: nam aliàs, caro aduersus spiritum insolesceret. Inter hæc quæso, manus tua me regat & doceat, ne quid nimium fiat.

CAP. XXVII.

Quòd priuatus amor, à summo bono, maximè retardat.

Dominus.

I Fili, † oportet te dare totum pro toto, & nihil tui ipsius esse. Scito, quòd

quòd amor tui ipsius, magis nocet tibi, quàm aliqua res mundi. Secundùm amorem & affectum, quem geris, quælibet res plus vel minus adhæret. Si *Matt. 6.* fuerit amor tuus purus, simplex, & benè ordinatus, eris sine captiuitate rerum. Noli concupiscere, quod non licet habere. Noli habere, quod te potest impedire, & libertate interiori priuare. Mirum, quod non ex toto fundo cordis, te ipsum mihi committis, cum omnibus quæ desiderare potes vel habere.

2 Quare vano mœrore consumeris? *Exodi 18. & Mich. 4.* Cur superfluis curis fatigaris? Sta ad beneplacitum meum, & nullum patieris detrimentum. Si quæris hoc vel illud, & volueris esse ibi vel ibi, propter tuum commodum, & proprium beneplacitum magis habendum: numquam eris in quietudine, nec liber à sollicitudine, quia in omni re, reperietur aliquis defectus: & in omni loco erit, qui aduersetur.

3 Iuuat igitur, non quælibet res adæpta, vel multiplicata exteriùs: sed potiùs contempta, & decisa ex corde radicitiùs. Quòd non tantùm de censu
aris

æris & diuitiarum intelligas, sed de honoris etiam ambitu, ac vanæ laudationis desiderio, quæ omnia transeunt cum mundo. Munit parum locus, si
Esa. 41. deest spiritus feruoris: nec diu stabit pax illa quæ sita forinsecus, si vacat à vero fundamento status cordis, hoc est, nisi steteris in me; permutare te potes, sed non meliorare. Nam occasione orta & accepta, inuenies quod fugisti, & amplius.

*Oratio pro purgatione cordis,
& cælesti sapientia.*

Seruus. 4 **C**onfirma * me Deus, per gratiã
Psal. 50. sancti Spiritus. Da virtutem
Eph. 3. corroborari in interiori homine, & cor
Matt. 6. meum ab omni inutili sollicitudine & angore euacuare, nec variis desideriis trahi cuiuscumque rei vilis aut preciosæ: sed omnia inspicere sicut transeuntia, & me pariter cum illis
Eccl. 1. transiturum: quia nihil permanens
& 2. sub sole, vbi omnia vanitas, & afflictio spiritus. O quàm sapiens, qui ita considerat!
Sap. 9. 5 Da mihi Domine cælestem sapientiam, vt discam te super omnia quærere &